



Disputatio medica inauguralis de hysterica passione

<https://hdl.handle.net/1874/345787>

46.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

HYSTERICA PASSIONE.

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Nobilissima
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogatiis &
Privilegiis, rite & legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JACOBUS AMERSFOORT, HORNANUS.

Ad diem 16. FEBRUARII, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, CL CI CIV.

*SPECTATISSIMO AMPLISSIMO-
QUE VIRO,*

D. D. JOANNI ABBEKERK,
J. U. D. Reip. Hornanæ Senatori Gravissimo,
atque olim præsidi scabino cognato Charissimo,
tutori meo Vigilantissimo, ad extremum vitæ
halitum, tanquam filiali amore colendo.

U T E T

*REVERENDO CONSPICUOQUE
VIR O,*

D. D. ARNOLDO THYMONI,
Cognato Charissimo, Tutorique meo Vigilan-
tissimo, omni amore semper prosequendo.

N E C N O N

DOCTISSIMIS VIRIS,

D. D. JOANNI OVERCAMP,
Medicinæ Doctori Practico apud Amsteloda-
menses Felicissimo.

D. D. HERMANN BESEM,
Medicinæ Doctori Practico inter Hornanos
Expertissimo a libellis societati Indiæ Orientalis
Prudentissimo.

*Hasce theses Inaugurales in perpetuae obser-
vantiae gratitudinisque signum*

Offert

JACOBUS AMERSFOORT Auctor.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

D E

Hysterica Passione.

THEISIS I.



Uoniam inter omnes morbos ,
qui humanum genus in dies tra-
hunt , haud postremum locum
obtinet is ; cui si Viros corri-
pit , a præcipuo symptomate ,
scilicet respirandi difficultate ,
nomen suffocationis hypochon-
driacæ ; si autem foeminas ten-
tat , Hystericæ Passionis aut suffocationis uterinæ
impositum est , de hocce malo pauca in medium
proferam.

I I.

Quod symptomata morbos prodeant , igitur no-

A 2 strum

4 DISPUTATIO MEDICA

strum affectum declarantia proponam , ut sunt difficultas respiratio , animi deliquium , pulsus parvus & debilis , refrigeratio corporis , sudores frigidi , quales in moribundis observantur , stomachus rusticibus vociferat , anxietas circa praecordia , dolor in regione lumborum , vomitus aut nixus vomendi , atrociissimi dolores ventris , murmura incondita in intestinis exaudiuntur , motum veluti globi cuiusdam ad diaphragma adscendentis percipiunt , via vocis fere praecluditur , cadaverosus faciei pallor , alvus adstricta , spasmodica hujus vel istius partis convulsio , præmonitum autem volo , haec omnia non semper simul in uno subjecto , neque æque gravia , sed modo haec , modo illa pro diversitate magnitudinis istius morbi observari .

I I I.

Phænomenis in medium prolatis , horum omnium matrem investigare ratio nos impellere censetur , quæ , quamvis in variis latet , indubitabilem tamen in sanguine crasso , viscido & acido inventam iri puto , talem sanguinem aliquando in corpore humano dari non solum docta medicorum scripta , verum etiam varia malorum genera & præprimis noster affectus satis testantur , & ea propter solum modo ante dicam , quomodo sanguis hocce vitiioso charactere induitur , quam explicare aggrediar , quomodo tristia dramata ludit .

Sanguis

I V. Sanguis crassus, viscosus & acidus primo ab alimentis frigidis & crudis, quibus deest illa copia particularum, ex quibus succi nostri naturaliter componi debent, hisce deficientibus functiones horum succorum tardiores fiunt, id est, fermentatio & separatio, ex quibus cetera pendent, secundo a fructibus acidis & immaturis, & ab omni acido nimia in quantitate assumpto praecipua ex parte suos natales dicit, adde quod nimia quies corporis efficit, ut particulae illae, quae aliter per sudores foras tenues in auras expelli consueveré, jam in sanguine remanent, hinc per consequens major accumulatio humorum acidorum, quibus omnibus symbolum confert impedita in hisce septentrionalibus regionibus insensibiles transpiratio, plura de origine sanguinis supra relati dixisse, nisi ea res longius nos ab incepto traheret.

V. Hisce igitur supersedibus, omnia phænomena supra relata paucis explicata dabo, e quorum numero difficilis respiratio prius in scænam prodit, quæ, ut suas partes recte agat, ponamus nobis ob oculos sanguinem ut supra relatum, & unum circulum cum eo per totum corpus absolvamus, prius tamen ad cerebrum, quo perventum in promptu erit videre, sanguinem ibi spiritus animales sibi similes deponere debere, qui, ut cito pede properem, ad nervos

6 DISPUTATIO MÉDICA

musculis respirationi dicatis insertos , & ob continuam respirandi necessitatem magis patentes , & ob unicā hanc causā magis convulsionibus obnoxios , delati , nimiam ob visciditatem eorum parietibus leviter adhærent , scilicet ubi in angustum tendunt , & fere in fibras nerveas faceſcunt , & suo acore pungunt , quod immediate magna præcipitatio spirituum animalium versus partes affectas sequitur , qui facto concursu magis saturi magno cum impetu in musculos agunt , quo ita conſtringuntur , ut diaphragma in ſuo motu & per conſequens inspiratio impediatur , & ſi musculi laryngis eandem ſortem patiantur , via vocis ferè præcluditur , & malum haud parum augetur.

V I.

Animi deliquinm acceptum fero ; quod defectu particularum aëris elasticarum & aliarum , quas aër in recessu habet , motus progressivus & fermentatio ſanguinis imminuuntur , quibus imminutis minor ſuccorum separandorum fit separatio & amandatio , & per conſequens functiones animales labascunt , ut clarius loquar , defectu motus ſanguinis jam per ſe ipsum pigri a penuriā aëris oriundo , ſpiritus animales non ſufficienter in cerebro ſequeſtrantur , & nervi per totum corpus diſpersi non ita eorum defectu diſtenduntur , ut aut corpus moveare , aut motum a corporibz ambientibus ſibi impressum ad cerebrum deferre valeant.

A

Sudores

INAUGURALIS.

7

Sudores frigidi erumpunt, quoniam particulæ sudores constituentes, quæ aliter vigente fermentatio-

ne sanguinis vigiles tenues in auras per ihsensibilia foli ramina abire solitæ erant, jam defectu motus pigræ ab aëre corpus ambiente ita incrassantur, ut iterum in lympham viscida & frigidam, ex quâ ante erant genitæ, convertantur.

Facies multo pallore est perfusa, sane non mirum, nam quis non videt? sanguinem plus satis crassum & dictam ob rationem majorem lentorem acceptum non posse extremitates arteriolarum tanto impetu invadere & distendere, ut illæ repertus phæbo vivacem colorem præbere possint, & iisdem fere causis refri gerationem corporis & pulsum debilem imputo ac objecto, nam id fieri necesse est, ubi præter suffici minatam influxionem spirituum animalium motus & fermentatio sanguinis tam debiles observantur.

I.X.

Globum, quem in abdōmine adscenderē percipiunt, hinc oriundum opinor, quod multi surculi nervorum ab intercostalibus ortum ducentes per totum mesenterium dispersi modo supra dicto a spiritibus acrioribus irritantur, quo facto ipsummet mesente-

rium

8 DISPUTATIO MEDICA

rium eique annexa intestina quasi in globum contor-
queri necesse est, & ex eo causa doloris lumborum,
quo ægri afficiuntur, facile eruitur, nam si mesen-
terium nexu admodum firmo lumbis accretum con-
vallatur, & ultra debitum exteaditur, necesse est,
id lumbis ad quos pertingit, impartiri debere, &
ex eodem fere fonte cauæ vomitus aut nixus vo-
mendi scaturit, nam nervi cardiaci communionem
habent cum intercostalibns, unde colligere promptum
est, mesenterii plexibus nervosis spasmo cor-
reptis, illos in consensum trahi debere, sed notari
velim in ipso & ventriculo aliquando causam huic
malo generando latere, quam hic consulto super-
fedeo.

X. Spasmodicæ convulsiones hujus, vel istius partis
duplici cause suam originem debere consueverunt,
vel quod nervi hujus vel istius partis ab acido quo-
dam corrosivo circa illos hærente immediate fuerint
irritati & convulsi, vel quod ab aliis prius irritatis ob
communionem in consensum trahantur.

X.I.

Stomachus ructibus vociferat, cuius rei ratio ipsa
fari videtur, quod vapes ex contentis ob defectum
laudabilis fermenti nimis viscidis crassiores geniti,
exitum per poros ventriculi foras spectantes sibi non
inveniunt, igitur illum mirum in modum extendunt,

Sed &

& ab immani illâ distensione angustia circa præcordia certo certius producitur, & respiratio haud parum impeditur, & si ventriculus ultimam extensio-
nem tandem ferre recusat, iterum constringitur, &
ructus magno ægrorum levamini parturit, & tale
gas flatuosum aliquando in intestinis generatur ean-
dem ob rationem, in quibus tamen flatibus gene-
randis major datur occasio, nam præter quod au-
xiliaria fermenta hic confluunt, chylus ob longitudinem
intestinorum majorem acquirit superficiem,
quo intestina interdum ita distenduntur, ut ægri ad
horrendos ejulatus adigantur, & si id flatuosum ge-
nus hinc inde discurrat, incondita murmura ex-
audiuntur, quod si forte obstaculum invenit, viâ
viscidis & induratis excrementis obseßâ, quantu-
ne dolor hinc ægris? sed præter id dictum ge-
nus doloris est aliud mordax, cuius explicationem
adhuc in recessu teneo, quoniam ejus causa nondum
est inventa.

X I I.

Quod alvis obstruitur, partim stercoribus ob-
nimiam visciditatem sibi impactis & induratis, par-
tim obstructis intestinorum glandulis, partim retar-
dato propter nimiam intestinorum inflationem &
distensionem motui peristaltico imputandum ve-
nit.

10 DISPUTATIO MEDICA

XII.

Jam ratio mordacis doloris non longe querenda est, se ipsam enim prodit, quæ interdum sola, & si non sola, saltem magnâ ex parte dictis in abdomine turbis generandis sufficit, nam alvo dictas ob rationes obstructâ, necesse est excrementa longiorem ob moram in intestinis debito majorem putrefactionem subire debere, quâ particulæ acidæ, quæ aliter ex parte aliis junctæ manent, sui juris fiunt, & sui juris factæ a materiâ subtili in motum abreptæ fibrillas nervæ intestinorum vellicando, mordendo mordacem dolorem, & si fortius convulsiones producunt, quæ deinceps propter communionem nervorum ad mesenterium & alias partes repentes varias in abdomine turbas excitant; plura de omnibus dixisse, nisi aliquando legeram, dictum sapienti sat esse, igitur opus mediis in cudibus absumo, & ultimam limam ad prognosin properando curiosoribus exploratoribus relinquo.

XIV.

XIV.

do audiobrili minuq. mirendo ariis bono
Prognosin ita instituo, si id malum recens ex toto interdum, si inveteratum raro aut nunquam curatur, quoniam laxatis partibus suam contractionem restituere, non solum, verum etiam causam, cui suum esse debet, tollere arduum est, & ægri interdum medicos diu suas artes frustra exercere animadvententes, curationem desperant & medicamina recusant.

In

INAUGURALIS.

ii

DOCILISSIMA ET JUVENIS
XV.

In curatione omne ferunt punctum antehysterica,
decocta antescorbutica, alkalia, salia & acida volatilia, gummata, cataplasmata, spirituosa,
& similia.

F I N I S.



R. van Murensen

B 2

IN

En officio Frans et Hylaeus, Antwerpia
Typographi, ex lege recte.

DOCTISSIMI VIRI JUVENIS

JACOBI AMERSFOORT.



Rtis Apollineæ quisquis cupit esse pe-
ritus,
Noscat, necesse est, corpus ut ipse
suum,
Veraque, de rebus, quod si judicamina ferre
Occultis studeat, qui benè mentis eat.
Hoc modo naturæ, clausis panduntur ocellis,
Scrinia, scrutando, nullaque clausa manent.
Sic fulcris Medicina viget, medicosque scientes
Efficit, hinc ægris mox pia cura patet.
Hic tibi quod scopus est, quo certo tramite tendis,
Nunc operosa tua hac pagina vere probat.
Hysterici, tu, hac arte, mali miracula pandis.
Et causas detegis, quæ latuere diu,
Non solum, teneros convellere, scribis & artus
Fœmineos, verum & corripuisse Vinos,
Et te monstrosi, tam horrenda pericula, morbi,
Ostendis methodo solvere posse novâ.
Cura talis, comitem secum trahit una salutem,
Atque facit medicum prosperiore frui.
Ut decuit, dixit, qui re sua verba probavit,
Et percepta satis, quæ tueatur, habet.
Tu modo perge tuum ceptum, fortuna secundet,
Crescat & ingenium, cumqne diebus honor.